

**Zeitschrift:** Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie  
**Band:** 20 (1906)

**Artikel:** De B. Virginis Mariae sanctificatione [Fortsetzung]  
**Autor:** Prado, Norbertus del  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-761886>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 18.03.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

## DE B. VIRGINIS MARIAE SANCTIFICATIONE.

Commentatio in D. Thomae Summae Theologiae P. 3 qu. 27.

(Sequitur vol. XX p. 238.)

SCRIPSIT

FR. NORBERTUS DEL PRADO ORD. PRAED.



### Articulus 1.

Utrum B. Virgo Mater Dei fuerit sanctificata ante nativitatem ex utero.

#### I. Conclusio 1.

Rationabiliter creditur, quod B. Virgo sanctificata fuerit, antequam ex utero nasceretur.

Argum. 1. Ecclesia celebrat nativitatem B. Virginis. Sed in Ecclesia Dei non celebratur festum nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta.

Argum. 2. Rationabiliter enim creditur, quod illa, quae genuit Unigenitum a Patre plenum gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae acceperit. Unde et legitur Lucae c. 1 v. 28: „Angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena.“ Sed invenimus in Sacra Scriptura, quibusdam aliis hoc privilegium esse concessum, ut in utero sanctificarentur, sicut Ieremiae et S. Ioanni Baptistae. (Ierem. 1, 5. Lucae 1, 15.) Ergo si aliis fuit concessum sanctificari in utero, antequam nascerentur, rationabiliter creditur, quod B. Virgo hoc privilegium a Deo acceperit. „Non est dubitandum, hoc multo excellentius Matri Dei collatum fuisse.“ (3 Sent. d. 3 qu. 1 a. 1 sol. 3.)

Argum. 3. Ex auctoritate S. Bernardi in epist. ad Canonicos Lugdunenses: „Ego vero, quod ab Ecclesia accepi, securus et teneo et trado. Quod vero Ecclesia non tradit, periculosius fateor admitti. Accepi sane ab Ecclesia, illum diem cum summa veneratione colendum, quo assumpta de saeculo nequam, coelis quoque intulit celeberrimorum festa gaudiorum; sed et ortum Virginis didici nihilominus in Ecclesia et ab Ecclesia indubitanter haberi

festivum atque sanctum, firmissime cum Ecclesia sentiens in utero eam accepisse, ut sancta prodiret.“ Quod itaque vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas non est suspicari sanctae Virgini esse negatum, per quam omnis mortalitas emersit ad vitam. Fuit proculdubio Mater Domini ante sancta quam nata.

## II. Conclusio 2.

Dogma catholicae fidei est, quod B. Virgo fuit sanctificata ante nativitatem ex utero.

*Probat ur.* Ex praenotatis duplex est nativitas, nempe in utero et ex utero. Nativitas in utero fit, cum proles concepta animatur anima rationali et accipit per infusionem animae a Deo creatae humanam naturam. Nativitas autem ex utero est, cum proles iam animata prodiit in lucem exeundo ex ventre matris. Sed est dogma fidei catholicae, „Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Salvatoris humani generis, ab omni originali culpae labe praeservatam immunem.“ (Bulla Pii IX. *Ineffabilis*.) Ergo si est dogma fidei, quod B. Virgo fuit sanctificata tum, cum nata est in utero, a fortiori ad fidem pertinet, quod sanctificata ante nativitatem ex utero fuit.

## III. Observationes.

1. Temporibus S. Bernardi et D. Thomae doctrina de sanctificatione B. Virginis ante nativitatem ex utero erat doctrina Ecclesiae, sicut hodie est doctrina ipsius circa assumptionem B. Virginis in coelum. Quod quidem temerarium foret negare: 1) propter auctoritatem Ecclesiae celebrantis hoc festum; 2) propter auctoritatem et communem sententiam Patrum et Theologorum; 3) ex communi sensu fidelium sive ex consensu universalis Ecclesiae, quae dum celebrat festum assumptionis, intelligit B. Virginem fuisse corpore et anima assumptam in coelum.

2. D. Thomas in hoc art. 1 ait: „De sanctificatione B. Mariae, quod scilicet fuerit sanctificata in utero, nihil in Scriptura Canonica traditur, quae etiam nec de eius nativitate mentionem facit.“ In lib. autem 3 Sent. d. 3 qu. 1 a. 1 quaestiunc. 3 ad 3. respondens ad haec verba S. Hieronymi: „Non mihi credas, si tibi aliquid dixero, quod ex veteri vel novo Testamento haberi non possit,“

ait: „Quamvis sanctificatio B. Virginis in utero expresse in Scriptura veteris et novi Testamenti non legatur, tamen pro certo haberi potest ex his, quae ibi leguntur. Si enim Ioannes et Ieremias, qui Christum praenuntiaverunt, sanctificati sunt, multo magis Virgo, quae Christum genuit.“

3. Sancti Patres docent ore unanimo, B. Virginem fuisse ante nativitatem sanctificatam. Quos inter possunt legi S. Augustinus serm. de Annunt., S. Bernardus de laudibus Virg. homil. super Missus est et serm. de Nativitate Virginis; S. Ioannes Damascenus sermonibus de Annuntiatione et in SS. Dominae natalitium diem.

## Articulus 2.

Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante animationem eius.

### I. Conclusio.

Ante infusionem animae rationalis B. Virgo sanctificata non fuit.

Ratio prima. Quod non est, non potest sanctificari. Sed B. Virgo non fuit, antequam conciperetur in utero Matris suae, nec fuit concepta ac in propria persona constituta ante infusionem animae rationalis. Ergo . . .

Ratio secunda. In partibus essentialiter constituentibus humanam naturam est talis ordo, quod anima est Deo propinquior quam corpus. Sed virtus alicuius agentis prius pervenit ad ea, quae sunt ibi propinquiora et per ea ad magis distantia. Ergo gratia sanctificationis a Deo venit ad corpus per animam; sicut peccatum originale a parentibus venit ad animam per corpus. Ergo B. Virgo ante animationem sanctificari non potuit. (3 Sent. d. 3 qu. 1 a. 1.)

Ratio tertia. Sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem. Quod autem non potest intelligi, non potest fieri. Quod autem non potest fieri, non fit. Ergo B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem.

Probatur propositio prima duplici ratione. Primo quidem sanctificatio, de qua loquimur, non est nisi emundatio a peccato originali: sanctitas enim est perfecta munditia. Sed culpa non potest emundari nisi per gratiam, cuius subiectum est sola creatura rationalis. Ergo ante

infusionem animae rationalis B. Virgo non fuit sanctificata nec ipsius sanctificatio potest intelligi.

Secundo ex 1. 2ae qu. 83 a. 2: anima secundum essentiam est primum subiectum originalis peccati: unde etiam originalis iustitia pertinebat primordialiter ad essentiam animae; et etiam gratia sanctificans est in essentia animae sicut in subiecto. (1. 2ae qu. 111 a. 4.) Ergo sola creatura rationalis est susceptiva culpa, sicut est susceptiva gratiae. Ergo ante infusionem animae rationalis non potest intelligi sanctificatio B. Virginis.

Ratio quarta. Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahere vel actu vel potentia debitrice; alioquin non omnes indigerent redemptione, quae est per Christum, quod est erroneum. (1. 2ae qu. 81 a. 3.) Sed si quocumque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpae (id est nec actu nec in potentia debitrice); et ita non indignisset redemptione et salute, quae est per Christum, de quo dicitur Matth. 1, 21: „Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.“ Ergo cum sit de fide, quod Christus est Salvator omnium, et quod B. Virgo indignuit redemptione et salute, quae est per Christum Filium suum; de fide quoque erit, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem.

**Minor probatur.** Sanctificatio B. Virginis ante animationem potest significare: 1) quod fuit sanctificata in suis parentibus; 2) vel quod fuit sanctificata in sua conceptione activa; 3) vel in sua conceptione passiva vi conceptionis; 4) vel in sua carne vel corpore, antequam infunderetur anima; 5) vel in ipsamet anima ante infusionem in corpus et constitutionem suae propriae personae.

D. Thomas 3 Sent. d. 3 qu. 1 a. 1 sol. 2 exponit hunc quintum modum sub his verbis: „Nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat, quia caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non posset, si alia anima inveniretur, quae nunquam originali macula fuisset infecta; et ideo nec B. Virgini nec alicui praeter Christum hoc concessum est.“ Unde in ipso instanti infusionis, ita ut anima sanctificaretur, prius prioritate naturae ante constitutionem personae seu infusionem in corpus. Quod apparet ex eo, quo infert, „talem animam nunquam (nec actu, nec potentia debitrice, nec

facto nec ex debito) originali macula fuisse infectam“. Et quoniam addit: „Nec B. Virgini, nec alicui praeter Christum, hoc concessum est,“ quod quidem valde notandum pro intelligentia doctrinae et mentis D. Thomae, qui contraponit semper nunquam incurrere, nullo modo incurrere, ad incurrere saltem ex debito, aliquo modo. Sed quoniam verba: „In ipso instanti infusionis“ possunt confusionem inducere, ideo in Summa istum modum de sanctificatione praeservativa in eodem instanti infusionis animae vel suppressit et omisit, vel explicavit. In Summa suppressit et omisit; et in lib. 4 Sent. explicavit, referens ad debitum. (Ioan. a S. Thoma.)

Quod etiam bene explicavit Suarez, dum declarat, quid sit obnoxium esse peccato originali, scribens sic: „In natura lapsa ex hac naturali origine statim consequi influxum originalis culpaе, nisi Deus per gratiam praeveniat et impediatur illud. Unde fit, in illo primo instanti, quo proles concipitur, causas eius proprias ita esse dispositas, ut omnino necessario veluti influxurae sint originale peccatum, nisi a Deo praeveniantur. Et hoc est esse obnoxium peccato originali; et quia hanc necessitatem et veluti propriarum causarum debilitatem habet proles, non solum antequam animetur, sed etiam in ipsomet instanti animationis, ut intelligitur natura antecedere omnem gratiae infusionem; ideo verissime dicitur in primo instanti et in propria persona esse obnoxia peccato . . . Et nihil ob stare, quominus Deus in eodem instanti possit gratiam infundere. Quia haec duo non repugnant, scilicet effectum procedere a causis, a quibus habiturus esset aliquam imperfectionem, si non impediretur, et nihilominus causas de facto impediri. Et hanc sententiam bene docuit Caietanus opusc. de Concept. cap. 3. dicens, hoc modo melius intelligi B. Virginem potuisse esse proprie redemptam in propria persona, etiamsi in illa non habuerit originale peccatum. Quia illamet gratia, qua praeventa est, fuit gratia redemptionis, et impedivit culpam necessario emanaturam ex causis proximis, Deo non impediente.“ Hactenus Suarez in suis comment. in 3 P. qu. 27 a. 2 disput. 3 sect. 4.

Sed quibuscunque praedictis modis si B. Virgo ante animationem sanctificata fuisset, nunquam (id est nec actu, nec debito) incurrisset maculam originalis culpae, nec proinde indignisset redemptione et salute, quae est per Christum. Quoniam huiusmodi sanctificatio licet absolute loquendo possit a Deo fieri, non fuisset gratia praeservans a peccato originali facta ipsimet Virgini in sua propria persona constitutae ac subsistenti.

Praeterea: primus et secundus modus sanctificationis praesupponit in parentibus „curatum fuisse non solum id, quod personae est, sed etiam id, quod est naturae, in quantum huiusmodi: quod quidem Deus facere potuit, sed non decuit. Perfecta enim naturae curatio ad perfectionem gloriae pertinet“. (3 Sent. d. 3 qu. 1 a. 1 sol. 1 ad 1 et 3 P. qu. 27 a. 2 ad 4.)

Tertius vero modus sanctificationis praesupponeret esse conceptam, non iuxta legem ordinariam humanae generationis, sed ex virtute Spiritus Sancti. Quartus vero modus „non potuit esse decenter, quia gratiae capax nondum erat.“ Quintus vero, quia praesupponit animam creari ante infusionem. Et in utroque casu gratia sanctificationis non fuisset personalis. Et insuper anima non incurrit maculam ex creatione, sed ex eo, quod coniungitur corpori.

Ratio quinta: ex auctoritate S. Bernardi, qui epist. ad Canonicos Lugdunenses reprobatur dicere, B. Virginem sanctificatam esse ante animationem, reiiciendo omnes modos, quibus sanctificatio huiusmodi esse poterat. Primo quidem reiicit absolute; quoniam in hac hypothese gratia praeservationis non fuisset propria ac personalis B. Virginis. Unde ait: „Non valuit ante sancta esse, quam esset. Siquidem non erat, antequam conciperetur.“ Deinde reprobatur dicere, B. Virginem esse sanctificatam in sua conceptione activa vel generativa, ita ut sanctificatio derivaretur a parente in prolem, eo modo, quo originalis iustitia. Unde ait: „An forte inter amplexus maritales se Spiritus conceptioni immiscuit, ut simul sanctificata fuerit et concepta? Ne hoc quidem admittit ratio.“ Tertio reprobatur dicere, B. Virginem esse sanctificatam in sua conceptione passiva, sive quae consummatur infusione animae rationalis, ex vi suae conceptionis. Unde ait: „Quomodo namque aut sanctitas absque Spiritu sanctificante, aut Sancti Spiritus societas cum peccato fuerit, aut certe ipsum peccatum quomodo non fuit, ubi libido non defuit? Nisi forte quis dicat de Spiritu Sancto eam, et non de viro conceptam fuisse. Sed id hactenus inauditum lego. Et si licet loqui, quod Ecclesia sentit, et verum ipsa sentit, dico gloriosam Virginem de Spiritu Sancto concepisse, non autem et conceptam fuisse. Dico peperisse Virginem, non tamen partam a Virgine. Alioquin ubi est praerogativa Matris Domini, qua implicite creditur exultare et munere proles et integritate carnis, si tantumdem dederis et Matri ipsius? Non enim est hoc Virginem honorare, sed honori eius detrudere.“

## II. Observationes.

I. D. Thomas in hoc art. 2 pro aris et focis laborat ad ostendendum, quod sanctificatio B. Virginis ante eius animationem non potest intelligi nec potest admitti. Etenim

quocumque modo explicetur B. Virginis sanctificatio ante animationem, semper necessario sequitur: 1) nunquam, nullo modo, nec actu nec potentia, nec debito remoto nec proximo, incurrisse maculam originalis culpae. Et ita ipsam in sua propria persona 2) non indignisse redemptione et salute, quae est per Christum.

II. Ex prima consequentia sequitur, quod B. Virgo fuisset libera a peccato originali, eodem modo, quo Christus Dominus, ex vi suae conceptionis, tam ratione naturae quam ratione personae. Unde D. Thomas in resp. ad 2: „Christus nullo modo contraxit originale peccatum.“ Exinde tolleretur differentia inter Filium et Matrem in modo non incurrendi maculam originalis culpae. Ex altera consequentia sequitur, Virginem non esse redemptam nec salvatam a peccato originali per Christum; quoniam qui nullo modo, nunquam, nec actu nec potentia debitrice incurrit in peccatum originale, non indiget redimi et salvari; et qui non indiget redimi, non redimitur. Exinde in hoc Mater esset aequalis Filio.

III. Hoc igitur est, quod ex professo reprehendit S. Bernardus in epist. ad Canonicos Lugdunenses et pure merito vocat inauditum, inadmissibile et erroneum. „Et ante quidem apud aliquos errorem compereram, sed dissimulabam parcens devotioni, quae de simplici corde et amore Virginis veniebat.“ Hoc ipsum testatur B. Albertus Magnus lib. 3. Sent. d. 3 a. 4: „Dicimus, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem; et qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a B. Bernardo in epistola ad Lugdunenses et a Magistris omnibus Parisiensibus.“ Hoc ipsum est, quod S. Bonaventura tradit lib. 3. Sent. d. part. 1 a. 1 qu. 1 declarando doctrinam S. Bernardi et concludendo: „Et ideo simpliciter concedendum, quod caro eius ante animationem non fuit sanctificata. Et concedendae sunt rationes, quae hoc probant.“ Hoc denique ipsum est, quod D. Thomas firmiter tenet atque propugnat in hoc 2. art. stabiliens ac docens: 1) B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem; 2) aliquo modo incurrisse in peccatum originale; 3) indignisse redemptione et salute, quae est per Christum.

### III. Aliae observationes.

I. Ex Caietano in hunc articulum: „Est ergo simpliciter vera doctrina in Littera tradita, quod si B. Virgo fuisset



ante infusionem animae sanctificata, non eguisset redemptione et salute a peccato, facta per Christum. Et bene nota, quod non dicitur, quod non indignisset salute gratiae aut gloriae, facta per Christum, sed salute a peccato, a quo dictus est Iesus, hoc est Salvator, ut Angelus revelavit Ioseph, dicens Matth. 1, 21: Vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.“

II. Ex Porrecta in hunc articulum: „Pro qua re sciendum est, quod si sanctificatio illa intelligatur fieri in illo instanti per gratiam infusam animae, creando scilicet animam illam in gratia ita, quod simul purgetur caro illa ab infectione contagiosa, qua secundum cursum ordinarium contaminare solet animam sibi advenientem; tunc impossibilis est ista sanctificationis positio stante hac, scilicet quod Christus sit omnium hominum Salvator a peccato. Nam si caro illa sive embryo a praedicta contagione simul fuerit emundata, nonne tu vides aperte, quod anima sibi infundenda non erit in periculo cadendi sive contrahendi peccatum originale ex unione ad carnem illam? Conceptio ex vi conceptionis sine originali est; quando caro, quae animanda est, purgatur ab infectione peccati; et sic purgata recipit animam tunc primo advenientem. Talis ergo non fuit passiva conceptio B. Virginis, quia non differret a conceptione Christi quantum ad elongationem a peccato: quod dico, interim abstrahendo etiam ab hoc, quod conceptio Christi fuit de Spiritu Sancto. Et ideo passiva ipsius (Virginis), in vi conceptionis stando, non fuit absque peccato. Si ergo sine illo fuit, aliunde fuit; non autem ex vi conceptionis. Stat igitur firmum, quod caro B. Virginis in sui conceptione mansit infecta. Nec tantum propter differentiam praedictam sic dicendum est; sed etiam propter hoc aliud: quia scilicet tunc anima sua adveniens non contraxisset originale in debito; non enim fuisset, ut aperte constat, in periculo cadendi; et per consequens, nullo modo indignisset redemptione Christi ab originali peccato: quod est contra fidem catholicam . . . D. Thomas semper uniformis sibi que constans, ubicumque tractat de hac materia; et pro ratione dicti sui semper adducit, quod oportet secundum Fidem Apostolicam, Christum esse universalem omnium Redemptorem . . . Dicendum ergo firmiterque tenendum est, quod praesens doctrina eius, si recte, ut ipse voluit, intelligatur, non tantum sana,

sed et catholica est. Ut ergo recte intelligatur doctrina tanta, examinetur pro illo dicto, in quod cetera resolvuntur, scilicet: Erroneum est dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur praeter Christum solum. Scilicet quantum est ex vi conceptionis. Altus vero sensus tanti Doctoris huiusmodi fuit. Si B. Virgo nunquam incurrisset maculam originalis culpa, nec fuisset in periculo incurrendi illam, non indignisset redemptione et salute per Christum a peccato illo. Et sic sequeretur, quod Christus non esset Salvator omnium hominum a peccatis; id est, quod aliquis homo potest salvari ex aliquo peccato absque auxilio Christi. Sensus praedictus integer est verus sensus S. Doctoris.“

III. Ex Ioanne a S. Thoma: „Permaxime sollicitus fuit de uno puncto, quod in hac materia gravius et considerabilius est et ad doctrinam christianam praecipue spectans, videlicet ne gratia sanctificationis, quae tribuebatur conceptioni Virginis, ita sinistre intelligeretur ab aliquibus, quod non ipsi personae Virginis diceretur fieri haec gratia; sed quaecumque gratia seu beneficium hoc sit, 1) ipsi personae Virginis debet fieri; 2) non parentibus sanando vitium naturae; 3) non conceptioni activae seu praeparativae; 4) non embryoni; 5) postremo non animae nec carni ante animationem et constitutionem personae. Haec voluit maxime observari D. Thomas, et in hoc totum suum studium posuit; quia videbat, si in hoc sinistra aliqua intelligentia inolesceret, et semel admitteretur, non ipsi personae Virginis fieri hoc beneficium, destrui grande principium in fide, quod daretur aliqua persona inter homines, quae in se personaliter, seu ratione suae personae, non indigeret redemptione Christi.“ (Cursus Theol. tom. 1. Approb. doctrinae Divi Thomae, disput. 2 a. 2.)

Appendix ad art. 2. huius quaestionis.

Caput primum.

I.

1. S. Bernardus, postquam exclusit ac reprobavit omnes modos sanctificationis B. Virginis ante animationem, concludit: „Si ergo ante conceptum sui sanctificari minime potuit, quoniam non erat; sed nec in ipso quidem conceptu propter peccatum, quod inerat; restat ut post con-

ceptionem in utero iam existens sanctificationem accepisse credatur, quae excluso peccato sanctam fecerit nativitatem, non tamen et conceptionem . . . Quae autem dixi, absque praeiudicio sane dicta sint sanius sapientis. Romanae praesertim Ecclesiae auctoritati atque examini totum hoc et cetera, quae huiusmodi sunt, universa reservo, ipsius, si quid sapio aliter, paratus iudicio emendare.“

2. B. Albertus Magnus 3 Sent. d. 3 a. 5, postquam a. 4 sanctificationem B. Virginis ante animationem tamquam erroneum quid reiecerit, asserit: „Dicendum, quod ante nativitatem ex utero sanctificata fuit; sed quo die, vel qua hora nescire quemquam hominem, nisi per revelationem; nisi quod probabilius est, quod cito post animationem conferatur, quam longe expectetur.“

3. S. Bonaventura, etiam postquam reiecit sanctificationem ante animationem, 3 Sent. dist. 3 part. 1 a. 1 qu. 2 quaerit: Utrum anima B. Virginis sanctificata ante peccati originalis contractionem, et ponit duas sententias, quarum prima: „Quod B. Virgo poenalitibus fuit obnoxia, et per Christum liberata a peccato originali, sed aliter quam alii. Nam alii post casum erecti sunt; Virgo Maria, quasi in ipso casu sustentata est, ne rueret, sicut exemplum ponitur de duobus cadentibus in luto.“ Altera: „Quod sanctificatio Virginis subsecuta est originalis peccati contractionem . . . Hic autem modus dicendi communior est et rationabilior et securior . . . Huic autem positioni adhaerentes propter honorem Iesu Christi etc.“

4. Ipsemet Scotus 3 Sent. d. 3 qu. 1 ponit quaestionem: „Utrum B. Virgo fuerit concepta in originali peccato? Ad quaestionem dico, quod Deus potuit facere, quod ipsa nunquam fuisset in peccato originali; potuit etiam fecisse, ut tantum in uno instanti esset in peccato; potuit etiam facere, ut per tempus aliquod esset in peccato et in ultimo instanti illius temporis purgaretur . . . Quod autem horum trium, quae ostensa sunt esse possibile, factum sit, Deus novit: si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, tribuere Mariae.“

5. Ex his patet: 1) Quod Doctores ac Theologi medii aevi incipiendo a S. Bernardo fuerunt, qui primo posuerunt in terminis quaestionem de peccato originali et de sanctificatione a macula huius peccati per respectum ad Beatissimam Virginem.

2) Omnes, incipiendo a S. Bernardo et veniendo ad Alexandrum de Ales, B. Albertum Magnum, S. Bonaventuram et D. Thomam, laboraverunt, ut quaestio recte ac convenienter statueretur. Inde quod omnes conveniunt in reiiciendo perversas, erroneas et etiam aliquando pueriles<sup>1</sup> explicationes eorum, qui circa hanc materiam falsa veris miscebant et absurda. Atque haec est ratio, quare S. Bernardus et Albertus Magnus et S. Bonaventura et D. Thomas tantopere insistunt in ostendendo, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem eius; et quod huiusmodi sanctificatio non potest intelligi et quod derogaret dignitati Iesu Christi, qui est Salvator omnium hominum.

3) Hanc sanctificationem B. Virginis ante eius animationem, scilicet a) in suis parentibus; b) vel virtute ipsius conceptionis activae, quae est generatio; 3) vel in carne vel corpore ipsius Virginis ante infusionem animae et constitutionem personae: hoc est et non aliud, quod B. Albertus Magnus reiicit tamquam erroneum et quasi haeresim damnatam a S. Bernardo in sua epistola ad Canonicos Lugdunenses.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Huiusmodi explicationes indicantur a S. Bernardo in sua Epistola; et adhuc postea saeculo 16<sup>o</sup> Chrysostomus Iavellus in opusculo de concept. B. M. Virginis scribebat: „B. Virgo fuit concepta per concubitum Ioachim et Annae. Nullus sapientum id negat, nisi quidem inepti et rudes praedicantes mulierculis, et docentes eas dicere, quod fuit concepta per solum osculum; sed has nugas merito despiciamus.“

<sup>2</sup> Unde sine causa et sine veritate mihi videntur scripta: 1) quaedam, quae reperiuntur in notula in nova editione operum S. Bonaventurae, ubi S. Doctor tractat de Immaculata Conceptione. „Concedendum est (inquit criticus editor), ea aetate ipsos SS. Doctores, Bernardum, Thomam, Bonaventuram aliosque ignorasse praedictum privilegium, nunc definitum, esse revelatum, scilicet implicite in deposito fidei traditum; immo eosdem usque ad Scotum nec statum quidem quaestionis praecise cognovisse, ut ex sequentibus patebit. Unde S. Bonaventurae (qu. 2) opinio opposita visa est communior, rationabilior et securior. Nec defuerunt, qui cum B. Alberto (hic a. 4) assererent, eandem esse tenendam tamquam fide certam.“

Et alius Scriptor et Theologus sic etiam audet dicere: „Albert le Grand fit appel, lui aussi, à l'auteur de la Lettre aux chanoines de Lyon, et il déclara que l'Immaculée Conception était une hérésie condamnée par le bienheureux Bernard, ainsi que par tous les docteurs de Paris.“ (Histoire de la Théologie positive, part. 2. ch. 3.) Et postea in nota indicat textum sic truncatum: Sent. 3. dist. 3. 4: „Qui dicunt oppositum, est haeresis condemnata a B. Bernardo in epistola ad Lugdunenses et a magistris omnibus Parisiensibus.“

Sed clar. D. Ioseph Zurmel omittit haec verba: „Dicimus quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem; qui dicunt oppositum . . .“ Unde isti Theologi adhuc post Bullam dogmaticam *Ineffabilis Deus* existimant, quod esse sanctificatam ante animationem et in primo instanti animationis sunt unum et idem. Sic scribitur Historia Theologiae positivae!!

4) Ea aetate ipsi SS. Doctores, ut S. Bernardus et S. Bonaventura et D. Thomas et Albertus Magnus et alii, ignorabant privilegium, nunc definitum, esse revelatum; nam hoc ipsimet conceptis verbis fatentur; sed non ignorabant: a) quod hoc esset possibile; b) quod hoc affirmare permittebatur ab Ecclesia; et nec contra hanc sententiam, quam piam vocabant, aliquid quasi damnando dixerunt. Sed S. Bonaventura dumtaxat dicit, quod opinio opposita erat „communior, rationabilior et securior“. Et ipse S. Bernardus, qui de facto privilegii non videtur distinguere clare, in omnibus tamen se remittit ad iudicium Ecclesiae.

5) B. Albertus Magnus et D. Thomas manifeste dicunt, quod de die aut de momento aut de instanti temporis, quo B. Virginis sanctificatio a Deo fuerit facta, ignoratur, non constat.

6) Scotus ipse nec fuit primus, licet fuerit principalis Doctor in asserendo sententiam piam, (quae hodie iam est dogma fidei); nec statum quaestionis praecise magis cognovit quam S. Bernardus et S. Bonaventura et D. Thomas. Etenim a) expresse ait: „Quid factum sit, Deus novit;“ b) dum se inclinatur in sententiam piam, loquitur cum timore et tremore, nempe „Si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet.“ Unde Scotus etiam ignorabat praedictum privilegium esse revelatum, vel in deposito fidei implicite traditum. Et sicut S. Bernardus, etiam se remittit ad iudicium Ecclesiae. Atque in hoc Scotus maxime laudandus, et de illo iure merito Ioannes a S. Thoma sic eloquitur: „Quid, Scotus ipse subtilissimus, ita et modestissimus Doctor, adeo sobrie et caute rem istam tractavit; ut mirandum posteritati de hac re exemplum reliquerit?“

7) „Si ergo auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, attribuere Mariae.“ Nihil plus in hac quaestione de facto Scotus determinavit et multum in brevibus istis verbis nos docuit. Hoc ipsum valde conforme est illis principiis stabilitis a D. Thoma ad loquendum de B. Virgine. Unde et ipse D. Thomas lib. 1 Sent. d. 44 qu. 1 a. 1 ad 3: „Talis fuit puritas B. Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit.“ Ubi affirmatur expresse privilegium; nam ly „immunis“ cadens supra actuale peccatum, praeservationem significat iuxta ipsam doctrinam D. Thomae; et ideo cadens supra originale peccatum, similiter significare debet praeservationem. Aliter nihil

speciale diceretur, nec vere immunis diceretur. Et tamen D. Thomas ignorabat privilegium. „Quo tempore (inquit) sanctificata fuerit, ignoratur.“ Verum talis modus loquendi aperit mentem et intentionem Angelici Doctoris, dum in art. 2, postquam ostendit B. Virginem non fuisse sanctificatam ante eius animationem, concludit sic per modum corollarii:

## II. Conclusio.

Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.

Ratio 1. Ex dictis in Conclusionem huius articuli secundi sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem. Sed inter esse animatum et non esse animatum non datur medium. Ergo relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.

Ratio 2. Dicere, quod sanctificatio B. Virginis fuit post eius animationem, nihil aliud est nisi affirmare, quod „B. Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet corpus et anima.“ Sed B. Virgo fuit sanctificata, postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet corpus et anima. Probat minor: beneficium seu gratia sanctificationis B. Virginis non fuit facta ipsius parentibus nec conceptioni activae nec carni, dum generabatur, nec animae ante infusionem; haec enim nondum sunt persona B. Virginis; sed gratia ista vel beneficium sanctificationis fuit collata a Deo ipsi B. Virgini in sua propria persona iam constituta. Sed persona B. Virginis fuit constituta tunc, cum cuncta eius perfecta sunt, scilicet corpus et anima. Ergo B. Virgo fuit sanctificata, postquam cuncta eius perfecta sunt, scilicet corpus et anima.

Ratio 3. Ea quae fuerunt in veteri Testamento, sunt figura novi, secundum illud 1. ad Corinth. cap. 10 v. 11: „Omnia in figura contingebant illis.“ Sed per sanctificationem Tabernaculi, de qua dicitur Psalm. 45 v. 5: „Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus,“ videtur significari sanctificatio Matris Dei, quae tabernaculum Dei dicitur Psalm. 18 v. 6: „In sole posuit tabernaculum suum.“ De tabernaculo autem dicitur Exod. cap. ult. v. 31: „Postquam cuncta perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud.“ Ergo etiam B. Virgo non fuit sanctificata, nisi postquam cuncta eius

perfecta sunt, scilicet corpus et anima. Ergo post animationem.

Ratio 4. D. Thomas in suis Commentariis in lib. Psalmorum, Psalm. 45 v. 3 et 4: „Fluminis impetus laetificat civitatem Dei; sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius non commovebitur; adiuvabit eam Deus mane diluculo“ docet: „Et possunt haec referri ad B. Virginem; quia ipsa est civitas; in ipsa habitavit; ipsam fluminis impetus, scilicet Spiritus Sanctus, laetificavit, ipsam sanctificavit in utero matris suae, postquam formatum fuit corpus et creata anima. Tunc primo operuit gloria Domini Tabernaculum, ut dicitur Exod. cap. 4.“ Sed corpus humanum tunc formatur, cum animatur anima rationali; et anima rationalis tunc creatur, cum infunditur. Ergo sanctificatio B. Virginis fuit post animationem.

Ratio 5. Sanctificatio B. Virginis aut fuit in tempore ante animationem eius, aut fuit in ipso primo instanti animationis, aut fuit in tempore post primum instans animationis scilicet in secundo, tertio vel quarto instanti. Non in tempore ante animationem; ergo relinquitur, quod vel in primo instanti animationis, vel in aliquo alio instanti post primum. Sed si sanctificatio B. Virginis fuit facta in ipso primo instanti animationis vel in aliis subsequentibus post primum, semper erit verum dicere, quod sanctificatio B. Virginis fuit post eius animationem. Nam si in primo instanti post animationem, non posterioritate temporis, sed posterioritate naturae dumtaxat; si vero in quolibet alio instanti post primum, post animationem, posterioritate tam naturae quam temporis. Ecce quare D. Thomas concludit: „Unde relinquitur, quod sanctificatio B. Virginis fuerit post eius animationem.“

### III. Observationes.

I. D. Thomas in hoc 2. articulo tantummodo tradit, quod firmiter ab omnibus est tenendum, scilicet: 1) Quod beneficium sanctificationis B. Virginis est gratia personalis ipsius Virginis. 2) Quod B. Virgo indiguit redemptione et salute, quae est per Christum. 3) Quod B. Virgo, sive fuerit sanctificata in primo instanti vel in alio post primum, incurrit aliquo modo maculam originalis culpae, saltem ex debito, ex vi conceptionis suae, ex lege suae originis ab Adam. 4) Quod haec est differentia inter Virginem Matrem et Christum Filium eius, nempe Christus non indiget

redemptione, est Redemptor omnium, et sanctus vi conceptionis suae, ratione naturae et ratione personae. Virgo Mater indiget redemptione, redempta fuit a Filio sive modo communi sive modo singulari; non est sancta vi conceptionis nec ratione naturae nec ratione personae. Atque haec differentia exprimitur a D. Thoma in respons. ad 2, dum ait: „Si nunquam anima B. Virginis fuisset contagio originalis peccati inquinata, hoc derogaret dignitati Christi, secundum quam est universalis omnium Salvator. Et ideo sub Christo, qui salvari non indiguit tamquam universalis Salvator, maxima fuit B. Virginis puritas. Nam Christus nullo modo contraxit originale peccatum, sed in ipsa conceptione fuit sanctus etc.“

II. D. Thomas idem argumentum tamquam peremptorium ad concludendum adhibet in hoc art. 2, quod adhibuerat 1. 2ae qu. 81 a. 3. In 1. 2ae qu. 81 a. 3 ait: „Secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, praeter solum Christum, ex Adam derivati, peccatum originale ex Adam contrahunt; alioquin non omnes indigerent redemptione, quae est per Christum, quod est erroneum.“ 3 P. qu. 27 a. 2 ait: „Ante infusionem animae rationalis proles concepta est culpa obnoxia. Et si quocunque modo ante animationem B. Virgo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpa; et ita non indiguisset redemptione et salute, quae est per Christum.“ Unde D. Thomas in utroque articulo tradit, quod spectat ad fidem catholicam: in uno loco, in genere pro omnibus hominibus; in alio autem in speciali, pro persona B. Virginis. Et cum apud D. Thomam conclusiones sic intelligendae sunt, illo scilicet sensu, quo concludunt argumenta, quibus conclusiones probantur; sequitur, quod hic Angelus Doctor intendit probare, B. Virginem incurrisse necessitatem habendi peccatum originale. Et hoc est, quod significatur per „esse culpa obnoxium“. Quod Caietanus iam praenotaverat 1. 2ae qu. 81 a. 3 inquit: „Si enim peccatum originale vel in actu vel in necessitate habendi illud, quis non incurreret, non egeret redemptione: quod haereticum est dicere. Sed si omnes obnoxii sint peccato originali, sufficit ad indigentiam redemptionis; neque solum eget redemptione actualiter captivus, sed etiam obnoxius captivitati.“ Quod D. Thomas tradit ibidem ad 1 loquendo de morte incurrenda ab omnibus propter peccatum.



III. D. Thomas non ait, quod si B. Virgo ante animationem sanctificata fuisset, non egeret „salute gratiae et gloriae facta per Christum“, sed quod non egeret „redemptione et salute a peccato facta per Christum“. Unde Angelus Doctor non negat, quod de potentia Dei absoluta B. Virgo potuerit esse sanctificata ante animationem, et quod Deus, si voluisset, illis aliis modis iam indicatis B. Virginem sanctificaret, impediendo ipsius incursum in peccatum originale; sed affirmat, quod si quocunque modo ante animationem sanctificata fuisset, nunquam incurreret maculam peccati originalis. Exinde non indigeret redemptione et salute a peccato, quoniam obnoxia non fuisset peccato; sed tamen in hac hypothese, cum liberatio a peccato non fuisset per gratiam collatam B. Virgini in sua propria persona constituta, adhuc egeret gratia Christi, non pro redemptione ad salvandam illam a peccato originali, quod nunquam, nullo modo, incurrisset, sed ad suam iustificationem pro merenda gloria aeterna. Nam esse sanctificatam ante animationem non ponit gratiam sanctificantem in persona B. Virginis, in essentia ipsius animae, quae adhuc non est ante animationem.

IV. Exinde dicendum, quod si Scotus intenderit<sup>1</sup> solvere argumentum D. Thomae, dum lib. 3 Sent. d. 3

<sup>1</sup> In Summa Theologica Ven. Ioannis Duns Scoti ex universis operibus eius concinnata, iuxta ordinem et dispositionem Summae Angelici Doctoris per Fr. Hieronymum de Montefortino, 3 P. qu. 27 a. 2, utrum B. Virgo sanctificata fuerit ante animationem, sic scribitur: „Quamquam B. Virgo non fuerit sanctificata ante animationem, quia caro ut non est subiectum peccati, ita nec gratiae sanctificantis, fuisse tamen sanctificata in ipsa animatione . . . Quod declaratur ex ipsa excellentia Filii sui, cui ne derogetur, quidam oppositum opinantur, ut D. Thomas in praesenti articulo.“ Dicendum: 1) Quod D. Thomas in praesenti art. non quaerit, utrum B. Virgo fuerit sanctificata in ipsa animatione, sed ante animationem. 2) Rationes, quas affert D. Thomas in a. 2 ad concludendum, quod sanctificatio B. Virginis non potest intelligi ante eius animationem, remanent adhuc firmiores post Bullam *Ineffabilis Deus*. 3) Quod Scotus non posuit quaestionem, sicut est posita a D. Thoma in a. 2; unde P. de Montefortino nihil potuit invenire in operibus Scoti, quod contra poneret doctrinae traditae a D. Thoma in hoc a. 2: nam esse sanctificatam in ipso instanti animationis excludit esse sanctificatam ante animationem; ac perinde corroborat conclusionem D. Thomae in isto a. 2. Infra qu. 33 a. 4 ad 1 Angelicus Doctor respondet: „Illa conceptio (Christi) tria privilegia habuit, scilicet: 1) quod esset sine peccato originali; 2) quod esset non puri hominis, sed Dei et hominis; 3) quod esset conceptio Virginis; et haec tria habuit a Spiritu Sancto.“ Haec autem tria sic propria sunt Christi conceptioni, ut nulla alia alterius hominis conceptio habere valeat ex se, ratione sui, vi ipsius conceptionis. Et hoc est, quod D. Thomas in art. 2 huius qu. 27

qu. 1 scribit: „Contra primam rationem arguitur ex excellentia Filii sui, in quantum Redemptor, Reconciliator et Mediator, quod Ipsa non contraxit peccatum originale. Perfectissimus enim mediator habet perfectissimum actum mediandi, respectu alicuius personae, pro qua mediat. Sed Christus est perfectissimus Mediator. Igitur Christus habuit perfectissimum gradum mediandi possibilem respectu alicuius creaturae sive personae, respectu cuius erat mediator. Sed respectu nullius personae habuit excellentiorem gradum, quam respectu Mariae. Igitur. Sed hoc non esset, nisi meruisset eam praeservari a peccato originali.“ Per quod solvit Scotus hoc argumentum assumptum ex excellentia Filii, scilicet: „Ipse (Iesus) enim ut Redemptor universalis omnibus ianuam aperuit. Sed si B. Virgo non contraxisset originale peccatum, non indignisset Redemptore; nec ipsa sibi ianuam aperuisset, quia non fuisset sibi clausa; non enim clauditur nisi propter peccatum, et maxime originale.“ Si ergo Scotus intendit infirmare argumenta et doctrinam D. Thomae in hoc art. 2, dicendum est, quod ille mentem Angelici Doctoris non penetravit, verum nec eius doctrinae sensum attigisse videtur: 1) quoniam D. Thomas non adhibet hoc argumentum ad concludendum, quod B. Virgo contraxit actu peccatum originale, sed ad concludendum, quod B. Virgo non fuit sanctificata ante animationem. 2) Quoniam D. Thomas infert, quod B. Virgo non indigeret redemptione et salute a peccato, quae est per Christum, ex eo, quod supposita sanctificatione ante animationem B. Virgo in sua propria persona nunquam, nullo modo ac proinde nec in potentia debitrice incurreret maculam peccati originalis; consequenter ex hac parte esset similis Christo, qui nullo modo contraxit originale peccatum (a. 2 ad 2). 3) Tamen quoniam huiusmodi sanctificatio in tali hypothesis non fuisset per gratiam sanctificantem infusam in anima B. Virginis (nam fuisset ante animationem), etsi non indigeret redimi a peccato, adhuc indigeret gratia sanctificante, quae facta est per Christum, ad hoc, ut haberet gloriam. Haec est igitur vera doctrina veraque D. Thomae mens in hoc art. 2.

intendit demonstrare, et non aliud. Unde quod B. Virgo fuerit praeservata a peccati originalis macula, hoc fuit aliunde, non ex vi ipsius conceptionis, sed ex singulari Dei privilegio, ex Dei gratia, intuitu meritorum Christi atque ex eiusdem morte praevisa.

V. Palmieri (Tractat. de Deo creante et elevante pars 2 cap. 4 de Immaculata Conceptione S. Deiparae thesis 86) existimat, et non absque ratione, textum Sententiarum aliquantulum esse interpolatum. Ait enim: „Verum ecce in 3 dist. 3 qu. 1 a. 1 respondet S. Doctor: Quod sanctificatio B. Virginis non potuit esse decenter ante infusionem animae; quia gratiae capax nondum erat; sed nec etiam in ipso instanti infusionis, ut scilicet per gratiam tunc sibi infusam conservaretur, ne culpam originalem incurreret. Christus enim hoc singulariter in humano genere habet, ut redemptione non egeat; quia Caput nostrum est, sed omnibus convenit redimi per ipsum. Hoc autem esse non potest, si alia anima inveniretur, quae nunquam originali macula fuisset infecta. Quid ergo? Respondemus, probabile vehementer esse, quod locus iste fuerit interpolatus. Etenim: 1) Quorsum illud decenter in prima parte responsionis, cum de re impossibili agatur? 2) An S. Thomas usus esset ea formula: conservari per gratiam in ipso instanti infusionis, ne culpa contrahatur? Quod enim conservatur, iam esse cepit; hic enim porro de initio existentiae animae eiusque sanctificationis ageretur. 3) Quaestio, quam hic resolvit, haec est: An B. Virgo ante animationem sanctificata fuerit. Huic vero quaestioni facit satis prima pars responsionis: alia vero, quae de ipso instanti loquitur, non est ad rem. 4) Caietanus, S. Thomae operum et doctrinae callentissimus, non legit ea verba in hoc loco nec alibi. Etenim in 3 Parte qu. 27 a. 2 advertit, quod „absolute loquendo“. Qui concipi potest ob eam rationem allatam a Caietano non meminisse eius opinionis in Summa, cum eiusdem meminerit (si locus est genuinus) iam in Sententiis? Credibile est ergo quam maxime, verba illa alterius manu inserta esse; ideoque et ea, quae in arg. 3 eiusdem quaestiunculae exstant in fine.“ Hactenus Palmieri.

In cuius sententiam nos valde inclinamur. 1) Quia D. Thomas in lib. 3 Sent. d. 3 qu. 1 a. 1 ponit sic quaestionem: Utrum B. Virgo fuerit ante sanctificata, quam conceptio eius finiretur; et deinde sic procedit declarando sensum quaestionis: a) sanctificata antequam conceptio carnis eius finiretur; b) sanctificata ante animationem; c) sanctificata ante nativitatem ex utero. Et Angelicus Doctor sub isto triplici aspectu affert argumenta in contra et deinde solvit quaestionem. Et clausula illa:

„Sed nec etiam in ipso instanti infusionis“ est novus aspectus, sub quo nihil dixerat in pro aut in contra. 2) Quia est novus aspectus maximi et capitalis momenti; unde valde alienum est a sapientia Angelici Doctoris, tam gravem adeo quaestionem, ubi tangitur praecise factum privilegii, sic per transennam resolvere. 3) Quia ipsemet Angelicus Doctor ibidem fatetur ignorare momentum seu instans, quo post animationem B. Virgo fuerit sanctificata. „Quae (sanctificatio) quando determinate fuerit, incertum est.“ Si ergo incertum, quare negare, quod in primo instanti? 4) Quia D. Thomas non negat, Deum potuisse, si voluisset, sanctificare B. Virginem: a) in suis parentibus; b) ante infusionem animae; sed ait quod „non decuit“; et haec ratio non procedit de ipso instanti infusionis. 5) Quia D. Thomas in Summa Theologica tractat de eadem quaestione et sub triplici aspectu, quo in lib. 3 Sent.; et nihil prorsus indicat de „ipso instanti infusionis“. Unde verba ista 1) vel dicenda esse interpolata; 2) vel intelligenda, sicut declarantur a Porrecta et a Ioanne a S. Thoma; 3) vel quod ipsemet ex proposito voluit omittere.

VI. Tota igitur mens D. Thomae in lib. 3 Sent. d. 3 qu. 1 a. 1 et in hoc a. 2 qu. 27 Summae aperitur ab ipso Angelico Doctore lib. 4 Sent. d. 43 qu. 1 a. 4 sol. 1 ad 3 sic: „Dicendum, quod hoc est erroneum dicere, quod aliquis sine peccato originali concipiatur praeter Christum; quia ille, qui sine peccato originali conciperetur, non indigeret redemptione, quae facta est per Christum, et sic Christus non esset omnium hominum Salvator.“ Nec potest dici, quod non hac redemptione indiguerunt, quia praestitum fuit eis, ut sine peccato conciperentur; quia illa gratia facta est parentibus, ut in eis vitium naturae sanaretur, quo manente sine peccato originali generare non possent; vel ipsi naturae, quae sanata est. Oportet autem ponere, quod quilibet personaliter redemptione Christi indigeat, non solum ratione naturae. Liberari autem a malo vel a debito solvi non potest, nisi qui debitum incurrit vel in malum deiectus fuit; et ita non possent omnes fructum Dominicae orationis in seipsis percipere, nisi omnes debitores nascerentur et malo subiecti. Unde demissio debitorum et liberatio a malo non potest intelligi, quod aliquis sine debito vel immunis a malo nascatur; sed quia cum debito natus postea per gratiam Christi liberatur. En verus sensus theologicus et vera

mens et vera doctrina D. Thomae in hac celeberrima controversia.

VII. Quare D. Thomas, postquam ostendit in art. 1, B. Virginem sanctificatam fuisse ante nativitatem ex utero; et in hoc art. 2 ostendit, B. Virginem non fuisse sanctificatam ante animationem, omisit quaerere, utrum B. Virgo fuisset sanctificata in ipso instanti animationis? Quare Angelicus Doctor non quaesivit: Utrum B. Virgo fuerit sanctificata ante peccati originalis contractionem actu et de facto? 1) S. Bonaventura quaesivit et respondet, positionem seu sententiam tradentem, quod B. Virgo sanctificata fuit post contractionem peccati originalis, esse communioem, rationabiliorem, securiorem. 2) Scotus etiam quaesivit et respondet, quod Deus „potuit facere, quod Virgo nunquam fuerit in peccato originali. Quid autem factum sit, Deus novit; si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, tribuere Mariae.“ 3) D. Thomas autem omisit hanc quaestionem. Qua de causa? Angelicus Doctor in responsione ad 2 ait, quod „quo tempore B. Virgo sanctificata fuerit, ignoratur“. Et D. Thomas in sua Summa Theologica noluit affirmare nec negare, quod ipsemet fatetur ignorare.

Caietanus hic observat: „Absolute loquendo inter illas duas positiones extremas, scilicet quod fuerit sanctificata vel ante infusionem animae vel post infusionem animae, est positio media, quod fuit sanctificata in instanti infusionis animae. Cuius opinionis auctor non meminit; quia tempore suo non erat adinventata, omnibus communiter tenentibus, B. Virginem conceptam in peccato originali . . . Stat ergo Littera solida, quamvis non sollicita de illa media opinione tunc inopinabili.“

Ioannes a S. Thoma ait: „An scilicet habendo debitum in sua persona de facto non contraxerit culpam, sed praeservata fuerit B. Virgo in instanti reali suae animationis: utrique opinioni locum dedit D. Thomas, quia erat quaestio de facto . . . Et in determinando quaestionem de facto, qualis ista erat, oportebat expectare iudicium Ecclesiae, et non rationum humanarum ponderibus duci: ut in suis Litteris docet Gregorius XV: „Spiritus Sanctus accuratissimis precibus exoratus, nondum tanti mysterii arcanum Ecclesiae suae patefecit. Nos autem, non nisi eo praeunte, aeternitatis volumen in christianae sapientiae cathedra

legere debemus.“ „Unde secundum quod advertimus (addit Ioannes a S. Thoma) est, quod D. Thomas nunquam posuit quaestionem directe: An B. Virgo contraxerit peccatum originale, an vero fuerit praeservata; sed utrum fuerit sanctificata ante animationem. Quia cum in conceptione B. Virginis attendantur duo, scilicet 1) persona concepta ut terminus; 2) et actio ipsa generandi seu concipiendi; et utrumque conceptionis nomine significari soleat et possit; non fuit sollicitus D. Thomas quaerere de persona: An fuerit praeservatione privilegiata; sed de actione et de principiis, ex quibus generata est persona, scilicet anima vel carne ante animationem: An ex vi sua induxerint sanctitatem in persona; et curae fuit ipsi excludere ab actione privilegium et carentiam debiti contrahendi peccatum; haec enim carentia ex ipsa actionis generativae sanctitate sequebatur. De persona vero concepta, an fuerit privilegiata, non obstante actione ipsa seu activa conceptione, quae de se in peccatum ruebat, D. Thomas non multum tractavit; etsi loquendo de opinionibus, quae suo tempore iam currebant, de utraque locutus sit probabiliter; sicut in illo tempore debebat loqui propter Romanae Ecclesiae auctoritatem nondum tunc positive faventis, sed solum permittentis opinionem piam; et ita ad Ecclesiae auctoritatem se remittit; sicut Scotus fecit, cum iudicium de hac re protulit, quantum ad quaestionem de facto.“ Hactenus Ioannes a S. Thoma.

Deinde quaestio de facto fuit positive in magno favore habita et per diversa documenta pontificia dilucidata et munita, ac tandem solemniter definita ut dogma catholicae fidei per auctoritatem Romani Pontificis, Deo sic suaviter ac fortiter disponente omnia ad laudem Virginis Matris, quae est gloria Ierusalem et laetitia Israel et honorificentia populi nostri.

